



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ  
Præcones**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadt, 1645**

§. 10. Fulgor maiestatis in fulmine non lædente consideratus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

§. X.

*Fulgor maiestatis, in fulmine non la-  
dente consideratus.*

Eiuscemodi coruscationes capiti homi-  
num affusæ, vel sanctitatis, vel regie Maie-  
statis indicia semper fuere. Quare & An-  
geli illius erat aspectus, sicut fulgur, & vestimẽ-  
tum eius, sicut nix; & Diui quoque radiaue-  
runt. Quin & Seruio Tullo quoque id con-  
tigisse memorant, quod Virgilius Iulo suo  
scribit euenisse.

*Ecce leuis summo de vertice visus Iuli*

*Fundere lumen apex, tactuq; innoxia molli*

*Lambere flamma comas, & circum tempo-  
ra pasci.*

Magni nimirum faciebant veteres, ab igne  
aliquem splendere, & nõ ardere, aut fulmi-  
natum, & non læsum; existimabant enim,  
ei, non nisi à cælo sanctitatis teste, splendo-  
rem accessisse; aut certè omen arbitraban-  
tur, futuræ, inter maxima pericula, incolu-  
mitatis. Scopelianum refert Cardanus, dum  
in cunabulis esset, à fulmine occiso fratre,  
qui vnà cum illo natus erat, euasisse inco-  
lumem, atque, per maximos labores, ad ex-  
tremam peruenisse senectutem. Hic prolem  
fecit admirationi esse fulmen, aliàs matrem

Matth.

28. 3.

Plin. lib. 1.

c. 170. &

Plutarch.

de fortuna.

Rõ. Virg.

Aeneid.

lib. 2.

Card. de

rerum va-

riet. lib. 8.

cap. 43.

D

illu-

- Plin. li. 2. cap. 51.** illustravit. Nam Marcia Princeps Romana, fulmine icta grauida, partu exanimato, ipsa citra vllum aliud incommodum, vixit. In fætu igitur ostendit tum natura ignis, se lædere potuisse; vt in parente doceret, se percipisse. Cuius rei & Plutarchus exemplum
- Plutar. l. 4. q. 9. conuual. 2.** tradit, militis, qui, Romæ, ædem sacram custodiebat: cuius fulmē prope delapsum ambussit calceamentorum corrigias, neq; aliud quidquam incommodi attulit: ac pyxidularum argentearum, quæ ligneis inclusæ capsulis erant, argentum quidem colliquefactum & conflatum fuit, lignum intactum ac integrum inuentum. Quo loco & illud refert author, de fulmine, quod, Elide, in domū Dorothei rhetoris delapsum, multa miracula edidit, dum vinū ex dolio exhaustit sitibundum, vase illēso, & hominem somno stratum transuolans, neque illum offendit, neq; vestem attigit, sed eius cinctum, in quo succinxerat nummos æreos, liquefecit
- Psal. 28. 7.** & fudit totū. Verè hæc fuit *Vox Domini intercidentis flammam ignis*: nam vim eius intercēdit; vt, per interualla, vreret, & parceret, Deoq; ad nutum obediret. Quod etiam, in miseranda illa Maclinæ conflagratione, fecit, quæ An. 1546. ex fulmine accidit. Apud

pud cauponem, cui nomen Croes erat, con-  
uiuæ chartis ludebant, à quibus, dum, defi-  
ciente zytho, caupo in cellã descendit, tan-  
tus tempestatis extitit impetus, vt auulsa à  
fundamētis domus, procul abiecta sit, & op-  
pressi lusores, adhuc chartas manibus tenē-  
tes, reperirētur, nemine illius domus saluo,  
præter cauponem, qui concameratæ cellæ  
beneficio, inter dolia, homo fortasse non  
doliaris seruatus est.

Gilb.  
Cogn. l. 8.  
Narrat.

§. X I.

*Ignis innocentibus idem, qui auro; nocentibus,  
idem, qui stipula, quam facile  
consumit.*

Prodest ergo, & defendit ignis innocen-  
tes, & laudat Dominum flamma, quæ ei  
ancillatur. At etiam offendit? etiam in  
cineres redigit? Vel innocētes sunt illi, quos  
lædit, vel igne digni. Si innocentes, Lauren-  
tios, Vincentios, Pionios, Carolos Spinolas,  
Apollonias, Affras, Hilarias, Eutropias, Eu-  
nomias, Dignas ex eis efficit. *Nam, sicut igne*  
*probatur argentum, & aurum camino, ita cor-*  
*da probat Dominus; vt dicere possint: igne me*  
*examinasti, & non est inuenta in me iniquitas.*  
Quod si verò elemento hoc vstulantur ini-  
qui, non est id iniquū. Habent quod meren-  
tur.

Prouerb.  
17. 3.  
Psal. 16. 3.

